



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 42. Pontifex exoratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

prorsus indignum criminaretur (*) Sæcul. XVI.
A. C. 1509.
quin imo non deerant nonnulli, qui ad
Turcarum Imperatorem Legatos pro ob-
tinendo auxilio mittere suaderent, sanio-
res tamen ex Senatoribus primos hosce
iracundiæ impetus reprimebant, atque
ad media præsentis rerum conditioni ma-
gis congrua animum adjiciebant.

§. XLII.

Pontifex exoratus.

Ergo Venetorum Dux datis ad Papam Guicc. lib. 8.
literis humanitate plenissimis eidem Raynald. hoc
ad omne satisfactionis genus sine ulla ann. n. 14.
exceptione se offert, dummodo sex Ora- & 15.
tores illos, quos Respublica pro revocan-
dis censuris Romam ablegaverat, bene-
vole audiret, atque ad sacra pedum os-
cula admitteret. Julius hisce precibus
commotus, omnem indignationis sensum
deposuit, atque ad Ducem literas dedit
paternæ clementiæ testes, nec hic stetit
Ponti-

(*) *Palatius in Jul. II. n. 10. hæc addit:*
Severitatem Pontificis magnopere juvabant
Gallorum Legati, qui Julium urgebant, ne
Venetis reconciliaretur, dicentes non aliter
Pontificem reliquos moderaturum Principes,
quam si freenum Reipublicæ injiceret, & vin-
cula.

Sæcul. XVI
A.C. 1509.

Pontificis pietas, sed etiam sollicitationibus insuperhabitis Foederatorum Principum, qui Cameracense foedus violari eisdem exprobrabant, in pleno Patrum Senatu Reipublicæ Oratores admittendos esse, proponebat; idem quoque suadentibus Purpuratis, quorum consilium Papa, utpote suo proposito consonum, lubens sequebatur.

§. XLIII.

Veneti Ludovici XII. cunctatione animati.

*Petrus de
Angleria
ep. 409.*

Hæc Pontificis clementia non parum erigebat Venetorum animos, quos tamen longe magis adhuc firmabat Ludovici XII. indulgentia; quamvis enim ipse nullo ferme negotio urbes, quæ partitione facta Cæsari obtigerant, sibi vendicare potuisset, dummodo fidem dedisset, se illas Cæsari, quandocunque ei bene visum esset, redditurum, aliunde etiam Vicentini, Patavini, ac Veronenses urbium suarum claves, Regi jamjam obtulissent, nihilominus ille civitatibus, quas in Ducatu Mediolanensi occupaverat, contentus, ceteras Maximiliani Legatis, qui eas deditione acceperant, reliquit, haud ultra progredi volens, donec Imperator Italiam ingrederetur.

§. XLIV.